Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35407
Copyright: Neustift/Novacella, Augustiner-Chorherrenstift

ossa eius. Et intacta manserunt ossa illius cum ossibus prophete
qui venerat de samaria. Insuper et omnia fana excel
sorum que erant in civitatibus samarie que fecerant
reges israel ad irritandum dominum abstulit iosias. et
fecit eis secundum omnia opera que fecerat in bethel. et oc
cidit universos sacerdotes excelsorum qui erant ibi super
altaria. et combussit ossa humana super ea. Reversusque
est ierusalem. et precepit omni populo dicens. Facite phase
domino deo vestro. secundum quod scriptum est in libro federis huius.
Nec enim factum est phase tale a diebus iudicum qui iudi
caverunt israel. et omnium dierum regum israel et regum
iuda. sicut in octavo decimo anno regis iosie
factum est phase istud domino in ierusalem. Sed et phitones
et ariolos et figuras ydolorum et inmundicias.
abhominationesque que fuerant in terra iuda
et in ierusalem abstulit iosias. ut statueret verba
legis que scripta sunt in libro quem invenit elchias in
templo domini. Similis illi non fuit ante eum rex qui re
verteretur ad dominum in omni corde suo. et in tota
anima sua. et in universa virtute sua. iuxta
omnem legem moysi. neque post eum surrexit similis
illi. Verumtamen non est aversus dominus ab ira furoris sui
magni. qua iratus est furor eius ibi. Reliqua autem ser
monum verba iosie et universa que fecit. nonne hec
scripta sunt in libro verborum dierum regum iuda.
IN DIEBUS eius ascendit pharao necho rex egy
pti contra regem assiriorum ad flumen eufraten. Et
abiit iosias rex in occursum eius. et occisus est
in mageddo cum vidisset eum. Et portaverunt eum
servi sui mortuum de mageddo. et pertulerunt in
ierusalem. et sepelierunt eum in sepulchro suo. Tulitque
populus terre ioachaz filium iosie et unxerunt eum. et
constituerunt eum regem pro patre suo. Viginti trium
annorum erat ioachaz cum regnare cepisset. et
tribus mensibus regnavit in ierusalem. Nomen matris eius
amithaal filia ieremie de lobna. Et fecit
malum coram domino. iuxta omnia que fecerant patres
eius. Vinxitque eum pharao necho in reblata que est
in terra emath. ne regnaret in ierusalem. et impo
suit multam terre. c. talentis argenti. et talento
auri. Regemque constituit pharao necho eliachim
filium iosie pro iosia patre eius. vertitque nomen
eius ioachim. Porro ioachaz tulit. et duxit
in egyptum. Argentum autem et aurum dedit ioa
chim pharaoni cum indixisset terre per singulos
ut conferretur iuxta preceptum pharaonis. et unum
quemque secundum vires suas exegit tam argentum
quam aurum de populo terre ut daret pharaoni
necho. Viginti. v. annorum erat ioachim cum
regnare cepisset. et xi. annis regnavit in
ierusalem. Nomen matris eius zebida. filia fadaia de
ruma. Et fecit malum coram domino. iuxta omnia
que fecerant patres eius. In diebus eius ascendit 24
nabuchodonosor rex babylonis. et factus
est ei ioachim servus tribus annis. et rursum
rebellavit contra eum. Inmisitque ei dominus la
trunculos chaldeorum et latrunculos syrie.
et latrunculos moab. et latrunculos filiorum
ammon. et inmisit eos in iudam. ut disp
derent eum iuxta verbum domini. quod locutus erat
per servos suos prophetas. Factum est autem hoc per verbum
domini contra iudam. ut auferret eum coram se
propter peccata manasse universa que fecit. et
propter sanguinem innoxium quem effudit. et
implevit ierusalem cruore innocentium. et
ob hanc rem noluit dominus propitiari. Reliqua
autem sermonum ioachim et universa que fecit.
nonne hec scripta sunt in libro sermonum dierum
regum iuda. Et dormivit ioachim cum patribus
suis. regnavitque ioachin filius eius pro eo. Et
ultra non addidit rex egypti ut egrederetur de
terra sua. Tulerat enim rex babylonis a rivo
egypti usque ad flumen eufraten omnia que
fuerant regis egypti. Decem et octo annorum
erat ioachin cum regnare cepisset. et tribus
mensibus regnavit in ierusalem. Nomen matris eius
nestha filia helnathan de ierusalem. Et fecit
malum coram domino. iuxta omnia que fecerat pater
eius. In tempore illo ascenderunt servi nabucho
donosor regis babylonis ad civitatem cum ierusalem
servis suis. et circumdata est urbs munitionibus.
Venitque nabuchodonosor rex babylonis
ad civitatem cum servis suis. ut oppugnarent
eam. Egressusque est ioachim rex iuda ad regem
babylonis. ipse et mater eius. et servi eius. et prin
cipes eius. et eunuchi eius. et suscepit eum rex